



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia II. Et factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis,
cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, &
visi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

Jesu iter ostensionis : quia dum per psalmodiam A
compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per
quam ad Jesum in sine pervenitur, sicut ipse de
sua ostensione loquitur, dicens : *Qui diligit me,*
diligetur à Patre meo : & ego diligam eum, & ma-
nifestabo ei meipsum. Hinc quoque scriptum est :
Cantate Domino, psalmum dicite nomini ejus : iter
facite ei qui ascendit super occasum, Dominus no-
men est ei. Ipse etenim super occasum ascendit, qui
mortem resurgendo calcavit. Cui dum cantamus,
iter facimus, ut ad nostrum cor veniat, & sui nos
amoris gratia accendat. Quia autem prophetis pro-
phetiæ spiritus non semper adest, etiam vir Dei
indicat, qui contra Samariam misit, & mala quæ
ei ventura erant, nunciavit : qui tamen prohibi-
tus à Domino in via comedere, propheta falsa
persuasione deceptus est : quem fallax sermo non
deciperet, si prophetiæ spiritum præsentem habuis-
set. Sciendum quoque est, quod aliquando prophe-
tæ sancti dum consuluntur, ex magno usu pro-
phetandi quædam ex suo spiritu profertur, & se
hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur : sed
quia sancti sunt, per sanctum Spiritum citius cor-
recti, ab eo quæ vera sunt audiunt, & semetip-
sos quia falsa dixerint, reprehendunt. Nathan et-
enim prophetam sanctum virum fuisse quis nesciat?
Qui David regem & de culpa aperte reprehendit,
& quæ ei pro culpa eadem essent ventura nuncia-
vit : quem tamen dum idem David quia templum
Deo vellet construere, requisisset, illico respondit :
Omne quod est in corde tuo, vade & fac, quia Do-
minus tecum est. De quo illic statim subditur : *Fa-*
ctum est autem in nocte illa, & ecce sermo Domini
ad Nathan, dicens : Vade & loquere ad servum
meum David : Hæc dicit Dominus Deus : Num-
quid tu edificabis mihi domum ad habitandum ?
Neque enim habitavi in domo ex die qua eduxi filios
Israel de terra Aegypti usque in diem hanc. Et paul-
lo post : *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris*
cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te,
quod egredietur de uero tuo, & firmabo regnum
ejus : ipse edificabit domum nomini meo. Ecce Na-
than propheta, qui prius Regi dixerat : *Vade &*
fac ; ipse postmodum prophetiæ spiritu edoctus,
hoc fieri non posse denunciavit, & Regis consiliis
& suis sermonibus contradixit : quia quod ex suo
spiritu dixerat, falsum fuisse deprehendit. Qua in
re inter prophetas veros ac falsos ista distantia est :
quia prophetæ veri si quid aliquando per suum
spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophe-
tæ autem falsi & falsa denunciant, & alieni à san-
cto Spiritu in sua falsitate perdurant. Considera-
tis igitur prophetiæ temporibus & modis, intue-
ri libet qualiter omnipotens Deus ad profectum
hominum suæ iræ moderamina dispensat. Israëliti-
cus quippe populus conditori suo deliquerat, &
idcirco Regi Babylonio in captivitate serviebat ;
cum quo tamen Ezechiel propheta in captivitatem
mittitur, quem divina gratia ita sibi placabilem
fecerat, ut per eum ventura quæque prædiceret,
& afflicti populi mentem consolari dignaretur.
Consideremus ergo, si possumus, quanta est dis-
pensatio supernæ pietatis : quia sic iratus est popu-
lo suo Dominus, ut tamen omnimodo non iras-
ceretur. Nam si iratus non esset, in captivitatem
populum minimè tradidisset : & si omnimodo ira-
tus esset, electos suos in captivitatem cum illo
non mitteret. Sed agit hæc divina misericordia,
ut ex una eademque re, ex qua carnalibus dat fla-
gellum, ex ea spiritualibus virtutis præster incre-
mentum. Cumque illos per tribulationem purgat,
istos ex societate tribulantium ad majora prome-
renda excitat. Et sic injustis irascitur, ut tamen
eorum corda per justorum consortium consoleretur,

ne si omni modo deserat, nullus post culpas ad ve-
niã redeat. Tenendo igitur repellit, & repellendo re-
net, quando cum his quos dijudicat, simul in tribula-
tionem mittit quos amat. Quis ista tante pietatis
viscera pensare sufficiat ? Quod & culpas populi
Dominus sine vindicta non deserit, & tamen delin-
quentem populum à se fundit, & tamen non repellit.
Sic cum Moytes ad repromissionis terram explo-
ratores duodecim misisset, ex quibus eum decem
postmodum desperationem populo facerent, idem
populus in ira murmuracionis accensus, seductum
se à Domino esse conquestus est, ut ejus cadave-
ra jacerent in deserto. Cui omnipotens Deus ira-
tus, dixit quod nullus eorum in terram repromis-
sionis intraret. Quo terrore compuncti, pravè se
egisse cognoverunt, sese in lacrymis affligerunt,
& accincti armis, protinus cæperunt contra hos-
tes ascendere, ut repromissionis terram post la-
crymas intrare potuissent. Quibus per Moysem Do-
minus dicit : *Dic eis, Nolite ascendere, neque pu-*
gnatis ; non enim sum vobiscum ; ne cadatis coram
inimicis vestris. Quia in re pensandum est, si cum
ipsis non erat, cur eos ne eaderent, ascendere pro-
hibebat ? Si autem cum ipsis erat, quid est quod
ait : *Non enim sum vobiscum ?* Sed mira dispensa-
tione disciplina ac misericordiæ, & cum ipsis erat,
& cum ipsis non erat. Cum ipsis non erat ut vin-
cerent, sed tamen cum ipsis erat, ne ab hostibus
perirent. O ineffabilia pietatis viscera ! Culpas in-
sequitur, & tamen peccantes protegit. Iratum se
indicat, & tamen ab hostibus defendit. Sic ple-
rumque parvulo filio delinquenti irascitur mater,
reprehendit, increpat, verberat : sed si hunc in
præceptis ire confpexerit, ubi in mortis periculũ ruat,
manum tendit & * retrahit ; & quæ sic irata ver-
beraverat ac si non diligeret, sic * diligenter retinet,
ac si irata non verberasset. Hæc in sola præfatio-
ne colloquentes, navigij nostri quasi intra portum
exercitium fecimus, ut ad indaganda prophetiæ
mysteria, velut in immensitate pelagi, post vela
pandamus. Quod tamen non in nostra virtute præ-
sumimus, sed in eo qui linguis infantium facit di-
sertas : quia spiritus Domini replevit orbem terra-
rum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet
voci. Omnipotens enim Deus, sermo Patris om-
nipotentis est : & qui de illo loqui concupiscimus,
muti in illo nullo modo erimus. Dabit verba utilia
omnipotens Verbum, quod pro nobis incarnatum
vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti
Deus, per omnia secula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

Et factum est in tricesimo anno, in quarto,
in quinta mensis, cum essem in medio ca-
pivorum juxta fluvium Chobar, aperti
sunt cali, & vidi visiones Dei. In quinta
mensis, ipse est annus quintus transmigra-
tionis regis Joachin, factum est verbum
Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacer-
dotem in terra Chaldaeorum, secus flumen
Chobar : & facta est super eum ibi manus
Domini. Et vidi, & ecce ventus turbinis
veniebat ab Aquilone, & nubes magna,
& ignis involvens, & splendor in circuitu
ejus : & de medio ejus quasi species electri,
id est, de medio ignis. Et in medio ejus si-
militudo quatuor animalium : & hic aspe-
ctus eorum, similitudo hominis in eis.

Vsus prophetiæ locutionis est, ut prius per
nam, tempus, locumq; describat, & postmodum
dicere mysteria prophetiæ incipiat ; quatenus ad ve-

1. Jan. 14. c

Psal. 67.

3. Reg. 13.

2. Reg. 7.

ibid.

ibid.

Ezec. 4. d

ritatem solidius ostendendam, antè historie radicem figat, & pòst fructus spiritus per signa & allegorias proferat. Ezechiel itaque ætatis suæ tempus indicat, dicens: [*Et factum est in vicesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis.*] Locum quoque denunciatis, adjungit: [*Cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cali, & vidi visiones Dei.*] Tempus etiam insinuat, subdens: [*In quinta mensis: ipse est annus quintus transmirationis regis Joachin.*] Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat, cum subditur: [*Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacerdotem.*] Sed prima questio nobis oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est, dicens: [*Et factum est in vicesimo anno.*] Et, namque sermo conjunctionis est: & scimus quia non conjungitur sermo subsequens, nisi sermoni præcedenti. Qui igitur nihil dixerat, cur dicit: [*Et factum est.*] cum non sit sermo, cui hoc quod incipit, subjungat? Quia in re intuentum est, quia sicut nos corporalia, sic prophetæ sensu spiritalia aspiciunt, eisque & illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantie absentia videntur. Unde fit ut in mente prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat & intus verbum quod audiunt, & foras quod dicunt. Patet igitur causa, cur qui nihil dixerat, inchoavit dicens: [*Et factum est in vicesimo anno.*] quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat, conjunxit. Continuavit ergo verba quæ protulit, visioni intimæ: & idcirco incipit, dicens: [*Et factum est.*] Subjunctum enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si & illud foris sit, quod intus vidit. Hoc autem quod dicitur, quia tricesimo anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum; videlicet quia juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit nisi in ætate perfecta. Unde & ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper Angelos docet in celo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso Angeli videndo

Deut. 15. d. idem. scilicet. lib. 8. Mor. c. 34. Hefychius in Levitic. c. 27.

** al. bibit*

Quod hoc quod beatitudine æterna satiantur.

*Quod Moyses quoque sub allegoriæ mysterio admonet, dicens: Non arabis in primo genito bovis. Primogenitum enim bovis accipimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sunt adolescentiæ vel juvenutis nostræ tempora, nobis adhuc à prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ profcindere non audeat terram cordis alieni. Quo ad usque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus; ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus: quia & arbuta plantata si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arefcunt: at si semel radicem fixerint, manus tangit, & tamen nil officit: venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes si impellantur, eruantur, nisi à suo prius fuerint humore siccati. Mens itaque; quousque ab humore pravitate suæ perfectè non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet; ne priusquam plenè percipiat, perdat soliditatem suam; ne impulsæ ruat, ne velut arbustum sine radicibus dum plus quam tolerare valet concutitur, arefeat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur: *Præcipe hac, & doce: nemo adolescentiam tuam persternat.* sciendum est quoddam in sacro eloquio nonnumquam adolescentia juvenus vocatur. Unde*

A scriptum est: *Latare juvenis in adolescentia tua.* *Eccle. 11.* Profectò igitur ut ostendatur ejus auctoritatis sit in prædicatione, ætatis solidè esse describitur, quatenus ei cum vita & spiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt, concordare videantur. Nec contra hæc quempiam movere debet, quòd Hieremias atque Daniel prophetiæ spiritum pueri perceperunt, quoniam miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Omnipotens enim Deus & linguas infantium facit disertas, & ex ore infantium atque lactentium perficit laudem. Sed aliud est quod nos de doctrinæ usu atque disciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo scimus. Jam verò si queritur ut in ipsa quoque ætatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quòd Propheta Dominum, quem verbis denunciatur, ipso quoque ætatis suæ tempore ostendat. Anno tricesimo Ezechielis prophetæ cali aperti sunt, & vidit visiones Domini juxta fluvium Chobar: quia & quasi tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad fluvium Jordanis venit. Ibi itaque cali aperti sunt, quia Spiritus in columba descendit: vox quoque de celo sonuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* *Matth. 3. d.* Sed & ipsa Hebræa verba multum nobis ad mysterium interpretandum valent. Nam Chobar interpretatur gravitudo, vel gravitas: Ezechiel, fortitudo Dei: Buzi, despectus vel contemptus: Chaldæi, captivantes, vel quasi dæmones. Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar: quia enim Chobar gravitudo, vel gravitas dicitur, quid per Chobar fluvium, nisi humanum genus congruè designatur? Quod ab ortu defluit ad mortem, & grave sibi est ex peccatis, quæ & perperat & portat, quia sicut scriptum est: *Iniquitas in tantum plumbi sedet.* *Zach. 5. s.* Omne enim peccatum grave est; quia non permittit animam ad sublimia levare. Unde & per Psalmistam dicitur: *Filius hominum, usque quo gravi corde?* *Psal. 4.* Scriptum verò de Domino est, *quia ipse est Dei virtus, & Dei sapientia.* *1. Cor. 1. d.* Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar; quia fortitudo Dei per incarnationis suæ mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* *Psal. 14.* Juxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum. Ezechielem autem fortitudinem Dei, Buzi verò despectum interpretari diximus. Sed Ezechiel filius est Buzi, quia ex illo populo unigenitus Dei incarnari dignatus est; quem propter culpam perfidiæ Dominus despexit. Fortitudo ergo Dei ex contemptu, vel despectu nascitur; quia Redemptor noster humanitatem assumere ex populo perfido & contempto dignatus est. Venit ergo in terram Chaldæorum. Chaldæi interpretantur, ut diximus, captivantes, vel quasi dæmones. Iniqui etenim, quia & ipsi iniquitates perpetrant, & ad iniquitatem alios persuadendo trahunt; nimirum captivantes sunt. Qui rectè quoque & quasi dæmones interpretantur, quia & hi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum ad iniquitatem suscipiunt; quamvis dæmones per naturam non sint. Venit ergo fortitudo Dei in terram Chaldæorum, quia inter eos Unigenitus Patris apparuit, qui per semetipsos ad peccatum defluerant, & ad peccata alios captivantes traherant. Sed expositionis sermo ad Prophetam nunc personam redeat. [*Et facta est super eum ibi manus Domini.*] Manus vel brachium Domini, Filius dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt. De quo etiam Psalmista ait: *Fiat manus tua ut salvum me faciat.* Manus quippe Dei quæ per divinitatem non est facta, sed per humanitatem facta est, ut humani generis

Luc. 1. g.

** al. bibit*

Deut. 15. d. idem. scilicet. lib. 8. Mor. c. 34. Hefychius in Levitic. c. 27.

1. Tim. 4. c. 8. contemnat. sciendum est quoddam in sacro eloquio nonnumquam adolescentia juvenus vocatur. Unde



neris vulnera sanaret. Ibi ergo Propheta incarnationem Unigeniti agnovit, ubi super se manum Domini factam vidit. Quod verò hinc subditur: [*Et vidi, & ecce ventus turbini veniebat ab Aquilone;*] intuentium nobis est quis sit in Propheta verbis ordo locutionis. Qui enim superius de seipso dixerat: [*Aperi sunt cali, & vidi visiones Dei;*] postea tanquam si de alio narret, adjungit: [*Et facta est super eum ibi manus Domini.*] Ac deinde quasi ad se revertitur, & dicit: [*Et vidi, & ecce ventus turbini veniebat ab Aquilone.*] Quid est hoc, quòd modò Ezechiel loquitur, modò de Ezechiele? Si per totum diceret de se, quæstio non esset. Si per totum diceret quasi de alio, nihilominus quæstio non fuisset. Quid est ergo hoc, quòd sic variatur sermo propheticus, ut modò Propheta de se loquatur, modò autem de ipso quasi alius loqui videatur? Sed sciendam est quia hi qui prophetæ spiritu replentur, per hoc quòd aperte nonnunquam loquuntur de se, & nonnunquam sic de se verba tanquam de aliis profertur, indicant quia non propheta, sed Spiritus sanctus loquitur per prophetam. Pro eo enim quòd per ipsos sermo fit, ipsi loquuntur de se; & pro eo quòd aspirante Spiritu sancto loquuntur, idem Spiritus sanctus per ipsos loquitur de ipsis. Veritate attestante, quæ dicit: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hinc etiam Moyses ait: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Qui enim non dicit, *Eram, sed erat,* profecto aperte indicat, quia is qui per illum de illo loquebatur, alius erat. Hinc Joannes ait: *Vidit illum discipulum quem diligebat Iesus.* Unde & Paulus ut non se esse qui loquebatur ostenderet, dixit: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Quia igitur in locutione prophetica alter est qui præsidet, alter qui obsequentis est: cum verò per prophetam Spiritus sanctus loquitur de propheta, sublimitas præsentis ostenditur. Rectè ergo & tanquam de alio dicitur: [*Facta est super eum ibi manus Domini;*] & de se protinus adjungit: [*Et vidi, & ecce ventus turbini veniebat ab Aquilone.*] Nunc itaque discutendum nobis est, quid sit quòd dicit: [*Et ecce ventus turbini veniebat ab Aquilone, & nubes magna.*] Pro eo quòd ventus Aquilo constringit in frigore, non incongruè Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque propheta testatur, qui dixisse diabolum denunciavit, dicens: *Sedebis in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Malignus enim spiritus montem testamenti tenuit; quia Judæicum populum, qui legem acceperat, sibi in perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus præsidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet; quia mentes hominum frigiditas possidet. Unde & sponsi voce in Canticis canticorum dicitur: *Surge Aquilo, & veni Aufer, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Cum enim, jubente Domino, frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mentem fidelium occupat; qui hortum Dei, id est, sanctam Ecclesiam perflat, ut opiniones virtutum ejus ad multorum notitiam velut aromata defluant. Recedente etenim Aquilone, id est, maligno spiritu, sanctus Spiritus mentem quasi Aufer replet. Qui dum calefaciendo flaverit, statim de fidelium cordibus aromata virtutum fluant. Propheta ergo ea quæ essent in finem ventura conspiciens, venire ab Aquilone ventum turbini vidit: quia in extremo sæculi mentes hominum torporis sui frigore malignus spiritus gravius occupabit. Unde scriptum est: *Væ terre & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Antiquus quippe adversarius insidiarum suarum molimina in humanis mentibus gravius exaggeravit. Contra ejus excre-

centem superbiam incarnati manifestata est humilitas Dei: atque ut humanum genus à suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cum languor crevit agroti. Bene autem maligni spiritus immissio, ventus turbini appellatur. Turbo quippe ædificium quod tangit, concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quæ agitur in mente, ventus est turbini; quia hanc concutiendo per desideria, à statu suæ rectitudinis evellit. Sed nos ista reticentes quæ humano generi erant ab hoste callido in finem ventura, ad solam Judæam, ex qua Propheta fuit, & cujus perditionem prophetando conspicit, verba vertamus. Quæ incarnato Domino tantò gravius ab Aquilone ventum turbini pertulit, quantò à suæ rectitudine concussa cadens, per torporem mentis in perfidia frigida remansit. Ventus ergo turbini ab Aquilone venit, cum vitam Judæici populi malignus spiritus in tentatione concussit. Ubi & rectè additur: [*Et nubes magna;*] quia quantò plus quisque exarsit in crudelitate, tantò amplius obæcari meruit in ignorantia suæ caligine. Redemptorem quippe humani generis, quem in lege ac prophetis intelligentes expectaverant, videntes negabant. Unde actum est, ut eorum mens magna ignorantia quæ nube tegetetur, ne hunc post inquirentes agnoscerent, quem prius & denunciare poterant, & amare renuebant. Nam cum modò ejus virtutes & miracula, modò autem passionis conspicerent, in infidelium cordibus nubes magna ab Aquilone venerat; quia ex peccati sui frigore propter infirmitatem passionis illius & inter signa caligabant. Quid verò ex illa nubis magna caligine sit lectum, subjungitur, cum protinus dicit: [*Et ignis involvens.*] Ignis enim nomine cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando autem mentis malitia designatur. De bono enim igne scriptum est: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?* Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens à carnalibus suis desideriis concrematur. De malo autem igne dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumet;* quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit; quia & Spiritus sanctus cor quod replet, elevat, & ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. Judæa igitur nube suæ ignorantia cæcata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo involuta est, quæ in obligatione se nequitia per eandem ipsam crudelitatem qua arsit, implicavit. [*Ventus autem turbini veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens;*] quia ex torporis sui frigore ad ignorantia caliginem perducta, usque ad malitiam persecutionis erupit. Unde ad alium quoque Prophetam dicitur: *Quid tu vides? Qui illico respondit: Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Judæorum quippe mens in persecutione sæviens, atque in crudelitate malitiæ undas cogitationum volvens, quid aliud quàm olla succensa fuit? Cujus facies à facie Aquilonis esse dicitur, quia si se adverso spiritui per torporem mentis non subderet, contra bonos in tanta malitia non exarsisset. Nubem itaque sequitur ignis involvens, quia in eis cæcitatem mentis secuta est crudelitas persecutionis. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sed iste ignis alibi arsit, atque alibi splenduit. Nam subditur: [*Et splendor in circuitu ejus.*] Dum enim persecutio in Judæa agitur, sancta Apostolorum prædicatio in universo mundo dispersa est, sicut ipsi dicunt: *Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad gentes.* De crudelitate ergo malitiæ, quæ mentem Judææ concremavit, omnipotens Deus lucem Gentibus sparsit; quia per hoc quòd illa Redemptorem suum ac membra ejus persecuta est, sanctis Apostolis per diversa

S. GREGORII
MAGNI
TOM. I.

Mat. 10.
Num. 11.
Ioan. 21. c
2. Cor. 13.
L. 27. Mor.
c. 25. & in
Cant. c. 4.
Isa. 14. d
Cant. 4. d
Apoc. 12. c

Luc. 11. f
Hebr. 10. e
Hier. 1. e
1. Cor. 1. v
1. Cor. 13. e

dispersis, nos qui in Judæa circuitu positi in tenebris fuimus, dono celestis gratiæ splendorem veri luminis vidimus. Unde scriptum est: *Sedentibus in tenebris & umbra mortis, lux orta est eis.* Iste itaque ignis malitiæ qui à Judæorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos Apostolos se viendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac redemptore generis humani. Unde & subditur: [*Et de medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis.*]

1. Tim. 2.
L. 28. Mor.
cap. 2.

Quid electri specie, nisi Christus Jesus mediator Dei & hominum designatur? Electrum quippe ex auro & argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallefcit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio, naturæ divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam excrevit, divinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, per hoc quòd humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas à fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innovat omnia, si ita ut est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius, quàm renovaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperavit nostris oculis Deus; ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, & per acceptam gratiam, ut ita dicam, suæ habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne est Deus factus homo in persecutione. Sequitur: [*Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.*]

Quod in medio ejus dicitur, sive electri, sive ignis, nil obstat intelligi: quia quatuor hæc animalia, sancti scilicet Evangelistæ, & ex ejusdem Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, & in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti. Quod si quis hæc quæ de primo Domini adventu diximus, etiam de secundo velit accipere, celeri assensu sequendus est: quia sæpe prophetiæ spiritus in uno quod loquitur, multa simul intuetur. Ventus enim turbis ab Aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit, ut districti iudicij concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimæ inde venire dicitur, unde generatur. Nam quia ad feriendas frigidas peccatorum mentes iudicium perturbationis ultimæ agitur, rectè ab Aquilone ventus turbis venire perhibetur. Quæ videlicet concussio aptè ventus turbis dicitur; quia in illo die cunctorum qui tunc in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commoventur. Cum enim cœperit impleri quod scriptum est: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de celo, & virtutes calorum commovebuntur*: quæ mens erit hominis, æterni iudicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc cuncta simul peccata ante oculos redeunt: ibi omnia quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur: ibi caligo cogitationis miseræ ex pœna proximæ damnationis. Unde & subditur: [*Et nubes magna.*] Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cæcitatatis, cum unigenito Dei Filium in forma divinitatis conspiciere reprobi non permittuntur. *Videbunt enim in quem transfixerunt.* Et, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Ubi & apertè subditur: [*Et ignis involvens.*] Quia videlicet ignis ille iudicij, qui caelum æreum & terram concremabit, peccatores jam in sua superbia non permittet erigi, sed involvet, quos proculdubio in pœna suæ damnationis confringet. [*Et splendor in circuitu ejus.*] Quia sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, ita erit adventus filij hominis. Ubi nullus tunc à iudicio in sua mente latere permittitur,

Mat. 24. c

Joan. 19.
Zach. 12.

Mat. 24.

* al. à iudice.

A quia ipso iudicis fulgore penetratur. De quo mox * iudicij die subditur: [*Et in medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis.*] Ipse enim Angelis atque Archangelis omnibusque virtutibus præfidens Redemptor noster, qui velut in electri similitudinem unus ex utraque & in utraque natura & Deus permanfit cum Patre, & ad redemptionem nostram factus est mortalis cum hominibus, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis iudicij in reprobis vindicta famulabitur. Hinc enim scriptum est: *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* Hinc Psalmista ait: *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Hinc Petrus Apostolus dicit: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transibunt, elementa vero ignis ardore solventur.* Et quia tunc sancti omnes qui mundum perfectè reliquerunt, iudices venient, aptè mox subditur: [*Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.*]

Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor Evangelistæ signantur? Nec immeritò per Evangelistas quatuor, perfectorum omnium numerus exprimitur; quia omnes qui in Ecclesia modò perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. In medio enim ejus similitudo quatuor animalium; quia illi tunc ejus corpori uniti, ejus majestati conjuncti, & simul facti cum eo iudices videbuntur, qui modò perfecta opera juxta Evangelica præcepta secuti sunt. Hinc est enim quòd ipsis sanctis Apostolis dicitur: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hinc Isaias ait: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Hinc Salomon de Ecclesia loquitur, *Prov. 31. c* dicens: *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ.* His itaque sub brevitate transcurfis, adventus primi ordinem, sicut cœpimus, exequentes, ad Evangelistarum personas in expositione redeamus. Sequitur: [*Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.*] Cùm paulò pòst sancta hæc animalia singulis distincta imaginibus describantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilæ simile dicatur; quid est quòd hoc loco de omnibus simul dicitur, [*Similitudo hominis in eis?*] Sed quis hoc loco homo describitur, nisi ille de quo scriptum est: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo?* Hæc itaque animalia ut surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad hujus hominis similitudinem tendunt. Sancta enim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent: quia quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudinis spiritu, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiae, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, id est, à mediatore Dei & hominum Deo Domino traxerunt. Hujus se hominis similitudinem

D E habere egregius prædicator ostendit, dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo celestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de celo descendit.* Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ab ejus mandatis atque operibus discordare, quid est aliud quàm à similitudine longè recedere? Plangunt autem vitam delinquentium prædicatores sancti: sed de ipso nostro capite scriptum est, quia *sevit super Hierusalem.* Gaudent de bonis actibus subditorum, & rectè operantes diligunt: sed de Redemptore nostro scriptum est, quia cùm adolescens

* al. iudice subditur.

1. Cor. 3. c
psal. 49.

1. Pet. 3.

Mat. 19. d

Isai. 3. c

Prov. 31. c

Philip. 2. c

1. Tim. 2.

1. Cor. 11.

1. Cor. 15. f.

Luc. 19. f.

Mat. 19. c quidam diceret : *Hæc omnia custodivi a juventute mea* ; magis dilexit eum. Portant illatas contumelias prædicatores sancti , & nullam ad invicem contumeliam reddunt : sed cum Redemptori nostro diceretur : *Dæmonium habes* ; non injuriam reddidit , sed mansuetè respondit , dicens : *Ego dæmonium non habeo*. Fervent zelo rectitudinis prædicatores sancti : sed Redemptor omnium , flagello de resticulis facto , vendentes & ementes eiecit de templo , cathedras vendentium columbas evertit , & nummulariorum effudit æs. In omne quod fortiter agunt , humilitatem tota intentione custodiunt : sed per Redemptorem nostrum dicitur : *Discite à me , quia mitis sum , & humilis corde*. Persecutores quoque suos diligunt prædicatores sancti : sed ipse auctor omnium ac redemptor in passione positus , pro persecutoribus intercedit , dicens : *Pater ignosce illis , quia nesciunt quid faciunt*. Membra sua ponunt in passione pro fratribus : sed pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vita. Dicatur ergo de sanctis animalibus , quòd similitudo hominis in eis est : quia quòd sancta , quòd mira sunt , hoc in eis de specie similitudinis est , id est , de virtute imitationis. Caput quippe omnium nostrum Redemptor noster est. Et per Salomonem dicitur : *Oculi sapientis in capite ejus , stultus autem in tenebris ambulat*. Tunc enim in capite oculos habemus , cum vitam Redemptoris nostri tacita cogitatione conspicimus , cum omnis nostra intentio in ejus imitationem se erigit : ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit , statim clausus in tenebris erroris cadat. Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta , cum diceret : *In mandatis tuis exercebor , & considerabo vias tuas*. Qui enim vias Domini tacite in mente considerat , & se exercere in mandatis illius festinat , quid aliud in femetipso nisi imaginem novi hominis reformat ? Quod quia in sanctorum cordibus incessanter agitur , rectè nunc de animalibus dicitur : *[Similitudo hominis in eis]*. Post hanc verò similitudinem que nunc in moribus tenetur , quandoque ad similitudinem gloriæ pervenitur. Hinc etenim Joannes dicit : *Nunc filij Dei sumus , & nondum apparuit quid erimus*. Scimus autem quoniam cum apparuerit , similes ei erimus. Qui mox unde hoc fieri valeat , adjungit , dicens : *Quoniam videbimus eum sicuti est*. Esse enim Dei , est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur , desinit esse quod fuit , & incipit esse quod non fuit : Dei verò esse , est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur : *Ego sum qui sum*. Et dices filiis Israel : *Qui est , misit me ad vos*. Jacobus quoque ait : *Apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio*. Itaque per Joannem dicitur : *Similes ei erimus , quoniam videbimus eum sicuti est* : quia per hoc quòd aspicimus ejus essentiam naturæ , à mutabilitate nostra liberati , figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus : quia morte carebimus videndo vitam. Mutabilitatem nostram transcendemus , videndo immutabilitatem. Corruptione nulla tenebimur , videndo incorruptionem. Erit autem tunc similitudo hominis etiam in corporibus nostris. Hinc etenim per Paulum dicitur : *Nostra conversatio in celis est : unde etiam Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum , qui reformabit corpus humilitatis nostre , configuratum corpori claritatis sue*. Erunt ergo tunc electorum corpora claritati Dominici corporis configurata , quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam , similitudinem tamen configurationis ejus habebunt per gratiam. Quia itaque similitudo vitæ ejus nunc in moribus trahitur electorum , & in resurrectione sequitur similitudo æternitatis in mente , quoniam videbimus eum sicuti est : & quia similitudinem quoque illius etiam corpora nostra percipient in configuratione , dicatur rectè de sanctis animali-

bus : *[Similitudo hominis in eis]* Hæc nos in expositionis exordio prælabasse sufficiat , ut loquendi virtus silentio reforta , ad indaganda mysteria que sequuntur , robustior exurgat. Certi etenim sumus quia ipsum , de quo loquimur , habemus adjutorem : qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum , Amen.

HOMILIA III.

ET quatuor facies uni , & quatuor penna uni. Et pedes eorum pedes recti , & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli , & scintille quasi aspectus aris candentis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus : & facies & pennas per quatuor partes habebant : junctaque erant penna eorum alterius ad alterum. Non revertebantur cum incederent , sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

Sancta quatuor animalia , quæ prophetiæ spiritu futura prævidentur , subtili narratione describuntur , cum dicitur : *[Quatuor facies uni , & quatuor penna uni]*. Quid per faciem , nisi notitia : & quid per pennas , nisi volatus exprimitur ? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur : per pennas verò in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet , penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur , sicut ipse de suis ovibus dicit : *Ego sum pastor bonus , & cognosco oves meas , & cognoscunt me meæ*. Qui rursum ait : *Ego scio quos elegerim*. Per contemplationem verò qua super nosmetipsos tollimur , quasi in aëra levamur. Quatuor ergo facies uni sunt : quia si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat ; hoc nimirum sentit quòd Marcus , Lucas , & Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat ; hoc quòd Marcus , Lucas , & Matthæus. Si quæras quid Marcus , hoc quòd Matthæus , Joannes , & Lucas. Si quæras quid Lucas ; hoc quòd Joannes , Matthæus , & Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt ; quia notitia fidei , qua cognoscuntur à Deo , ipsa est in uno , quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveniatur , hoc in omnibus simul quatuor cognoscitur. *[Et quatuor penna uni]* : quia Dei omnipotentis filium Dominum nostrum Jesum Christum simul omnes concorditer prædicant ; & ad divinitatem ejus mentis oculos levantes , pennam contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet , penna ad divinitatem : quia in eo quem corporeum aspiciunt , quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscripsum atque incorporeum ex divinitate annunciant , per contemplationis pennam quasi in aëra levantur. Quia itaque una est fides incarnationis ejus in omnibus , & par contemplatio divinitatis ejus in singulis , rectè nunc dicitur : *[Quatuor facies uni , & quatuor penna uni]*. Sed quæ virtus esset , si fidem atque contemplationem Domini habentes prædicatores illius , sancta opera non haberent ? Sequitur : *[Et pedes eorum pedes recti]*. Quid per pedes , nisi gressus actuum designantur ? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur , quia sanctorum Evangelistarum atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent , qui ad mala mundi que reliquerunt , reflectuntur. De quibus scriptum est : *Canis reversus ad suum vomitum , & sus lotus in volutabro luti*. Dolebat de quibusdam doctor egregius , quòd pedum rectitudinem retrò retorferant , quibus per increpationem